

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARI  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

F. c. 21.



14

DE FEBRIBUS  
DISPUTATIO XL.

*De*

# PESTILENTIA,

*Cujus Theses,*

C U M D E O,

S U B P RÆS I D I O

D A N I E L I S S E N N E R T I, D.

Facultatis Medicæ Professoris ac Senioris,

& Sereniss. Electoris Saxon. Medici,

*Publicè defendendas suscipiet*

CHRISTOPHORUS MAJUS,

Cassellanus Hassus.

*die 5. Julij.*

In Auditorio Medicorum,

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Exscripta Typis hæredum SALOMONIS AUERBACH,


ANNO M. DC. XXVIII.





## DE PESTILENTIA.

### THEISIS I.



Bsolvimus hactenus essentiales febrium differentias: restat, ut de accidentibus jam dicamus. Inter quas præcipua est, & maximè cognitu necessaria, quæ pestilentiam & febres pestilentiales ac malignas complectitur.

II. Et quidem Pestem quod attinet, cum quæ etsi non semper, frequentissimè tamen etiam febris conjungitur, nomen id morbo omniū perniciōsissimo & periculōsissimo tribui notissimum est: Quæ verò ejus morbi natura sit, maximè apud Autores controversum.

III. Primò enim cum varia & diversa morborum ac symptomatum genera in peste appareant: tamen quia illa sàpè etiam citra pestem conspicuntur, pestis natura non in tot differentibus specie morbis & symptomatibus, sed in peculiari aliquo genere constituenda est.

IV. Neque etiam τὸ ἐπιδημιον vel contagiosum pestis naturam constituit; cum & alii morbi contagiosi & epidemii esse possint.

V. Verum cum hoc omnibus in confessò sit, cum pestilentiam grassari, quando plurimi simul eodem morbo corripuntur & intereunt, aliique inficiuntur: Facile hinc patet, pestem ejus partis primariò morbum esse, à qua vita maximè pendet, & qua lèsâ homo de vita summoperè periclitatur, Cordis sc. vitæ fontis & caloris vitalis officinæ. Etsi enim humor, cui pestilens venenum inhæret, in variis partibus subsistere possit ( unde non iidem morbi & symptomata in qualibet peste apparent ) tamen quocunque in loco consistat peculiarem cum corde ardentissimam habet, & proinde hominem tam subito jugulat.

VI. Unde autem vis & qualitas illa cordi infesta & inimica  
ortum habeat ac dependeat, de eo maxima inter Medicos est  
controversia. Et quidem nonnulli ex sola putredine pestilen-  
tiam constituunt, & putredine pestis naturam absolvit statuunt.  
Sed cum illi ipsi agnoscant, non omnes febres putridas pestilen-  
tes esse, in putredine determinanda variè laborant, eamque alii  
aliter explicant.

VII. Verum omnes frustra. Quocunque enim modo pu-  
tredo determinetur, ad pestilentiam constituendam non sufficit.  
Etenim putredinis gradus & modi, quicunque etiam sint, cum  
saltem secundum magis & minus sint, speciem non variant, neq;  
pestem à reliquis putridis febribus sejungunt.

VIII. Deinde pestis modo planè alio, quam febres putridæ,  
lædit. Nam momento fere sese exserit, & perniciosos effectus  
edit, stupendo modo sese diffundit, & in quosvis grassatur, tan-  
tillum veneni pestilentis alicubi diu latere & integrum conser-  
vari & in corpus postea receptum tam subito tam gravia mala  
producere potest, & eos effectus edit, qui in primarum quali-  
tatum, à quibus putredinis ratio solum pendet, potestate non  
funt.

IX. Præterea si à putredine solum pestis proveniret, etiam  
febris à peste nunquam abesset: Cum tamen observatum sit,  
aliquando à peste febrem abfuisse, ut ex Hippocrat. 3. epid.  
comm. 3.t. 25. 55. Galen. 9. de simpl. medic. facult. §. De terra Arme-  
nia. Jac. de partibus in 1. quarti Avicen. cap. de febre pestilenti. Alex.  
Benedict. Fr. Valleriola loc. comm. lib. 3. cap. 18. & aliis patet.

X. Tandem ipsa curandi ratio longè alia est, quam aliarum  
febrium putridarum, & pestilens venenum alexipharmacæ in-  
dicat & requirit, quæ in aliis putridis febribus nec indicantur:  
nec locum habent.

XI. Itaque pestilentiam in occulto, totaque natura cordi ad-  
versa qualitate consistere, pestilensque venenum tali qualitate  
præditum esse statuimus, id quod effectus, ut modo dictum,  
supra qualitatum primarum vires satis arguunt.

XII. Pestilentiae contagium conjunctum est, pestilensque  
veneni.

nica  
s est  
len-  
unt.  
len-  
alii  
  
pu-  
icit.  
rum  
neq;  
  
idæ,  
Etus  
tan-  
ser-  
nala  
ali-  
non  
  
iam  
sit,  
pid.  
me-  
lex.  
  
um  
in-  
tur:  
  
ad-  
cate  
  
que  
en:  
veni naturam contagium, tanquam accidens proprium, quod omni sed non soli competit, consequitur.

XIII. Itaque pestilentiam definimus, quod sit *morbus cordis venenosus*, à materia venenata, *cordiq; tota substantia peculiariter adversa*, *contagiosaq; genitus*, & proinde ipse *contagiosus*, *omnesq; cordis actiones subito & aθρώς lādens*, *maximè acutus, lethalis; omnisq; generis perniciosa symptomata inducens*.

XIV. Quæ autem specifica hujus veneni natura, & quæ ejus in diversis pestilentibus constitutionibus differentia sit, nemo facile explicabit. Mihi probabile videtur esse supremum corruptionis gradum, quem quidem humores in corpore nostro recipere possunt, ad quem per multas alterationes, mutationes & fermentationes pervenitur, & in quem morbi, qui præcesserunt, tandem degenerant & abeunt. Hude etiam peste grassante alii morbi sporadicac benigni omnes ferè silent, imò & qui præcesserunt epidemii, cessant.

XV. Causas autem pestilentiae seu summæ hujus corruptionis quod attinet, sunt eæ duplices, aliæ pestem generantes, aliæ propagantes, quæ contagii nomine comprehenduntur. In priore classe sunt aér, stellæ, victus ratio, beneficia, imaginatio & terror.

XVI. Primò enim aér nonnunquam in se pestilentiae semina continet, quæ ubi cum aëre, quem inspiramus, ab hominibus attrahuntur, pestilentem morbum in iis excitat. Atque id ubi accedit, pestilentes constitutiones longè gravissimæ excitantur, & longè perniciose iis, ubi per contagium saltem pestis transferrur.

XVII. Aér autem pestilens evadit quidem, cum in eo calidatis & humiditatis excessus sunt, qui ad putredinem corpora disponunt, qualem aëris constitutionem describit Hipp. 3. epid. comm. 3. : tamen etiam sine tali aëris constitutione pestis excitari potest, & ea ipsa corruptio non in qualitatibus primis terminari, sed etiam occultas qualitates & τὸ θεῖον Hippocratis concurrere necesse est.

XIX. Venenositatem autem, qualitatemque pestilentem

A 3

accipit.

Definitio.

Cause.

Aér.



accipit primò à Cœlo, dum à stellarū peculiari influentia aër seu in primis qualitatibus ita disponitur, ut putrescat & corrumpatur, seu occulto etiam modo ita afficitur ut in eo *μίασμα* venenata homini tota substantia adversa generentur. Ad quam rem in primis Saturnum multum posse Astrologi docent.

XIX. Deinde etiam pestilentiae semina accipere potest aër ex terræ cavernis, dum ex iis halitus venenati in aëre diu conclusi geniti exhalant, ad quam rem faciunt terræ motus, qui ejusmodi halitus venenatos commovent, iisque exitum patefaciunt. Ita ex arca diu conclusa aperta pestem exortam fuisse annotavit Julius Capitolinus, *in vero*. Idem accidere potest è stagnantibus aquis & lacubus, puteorum aquis corruptis. Tandem etiam à cadaveribus intersectorum, & locustarum mortuarum copia putrescente, aërem infectum fuisse historiæ testantur.

XX. Secundò pestilens venenum generari potest à victu communi, id quod non raro accidit in diurna annonæ caritate, in castris & obsidionibus, ubi homines cibo corrupto & pravo uti coguntur, è quibus pravi humores generantur, qui in corpore detenti amplius corrupti, & tandem pestilentem naturam induunt, id quod historiæ satis testantur.

XXI. Tertiò pestem excitant unguenta & pulveres venenati sparsi, id quod à maleficiis quibusdam factitatum fuisse historiæ itidem testantur. Si quis tamen hoc causæ genus ad contagium referre velit, cum eo non pugnabimus.

XXII. Quarta causa est Imaginatio & terror ac timor, docuitque experientia, quosdam dum vel è longinquo etiam peste infectos vel mortuos, vel è domo infecta egressos conspexissent, ex terrore nimio & timore in pestem incidisse.

XXIII. Atque hæ sunt causæ, quarum vi in aëre vel corpore hominum pestilens venenum generari potest. Sæpe tamen accidit ut neque aër, neque victus pravus, neque reliquæ causæ pestilentiam excitaverint, sed aliunde ea in locum aliquem per contagium delata & postea etiam per contagium in plures diffusa sit. Etsi enim & alii morbi contagiosi sint, tamen pestis omnium morborum contagiosissimus.

24. Conta-

Victus com-  
munis

Venenatis.

Imaginatio.

24. Conta-

XXIV. Contagium verò est similis affectionis morbosæ in *Contagium*  
alio corpore, per inquinamentum à morbo corpore commu-  
nicatum, productio.

XXV. Ad contagium verò requiruntur tria; Ipsius corpus  
contagiosum, quod alia inficit; affectio p. n. quæ alteri com-  
municatur; & corpus, quod inficitur.

XXVI. Primò corpus contagiosum est, quod dum morbo  
aliquo laborat, non ipsum morbum, (accidens enim de subje-  
cto non egreditur) sed aliquid caussæ morbificæ de se diffundit,  
& alteri communicat, atque hoc modo similem in eo affectum  
excitat.

XXVII. Illud enim, quod à corpore contagioso alteri com-  
municatur non est ipse morbus, sed corpus quoddam è corpore  
morboso effluens, & in alio receptum, similem affectum in eo  
excitare valens. Græci vocant *νοτερας απωγιτης* & *αποφρίας*  
& *μιασματα*. Latini inquinamenta ac semina contagii. Et cum  
videamus talia semina non solum in minima quantitate noxias  
vires habere, & facilè in corpus sese insinuare, sed etiam diu du-  
rare & vires suas integras retinere: & exactissimam missionem  
habeant, & spirituosa quodammodo sint, ac occulta aliqua  
qualitate vires suas exserant necesse est.

XXIX. Non uno autem modo contagium disseminatur. *Contag m*  
Aliquando enim per halitum, aliquando per poros cutis seu *quot modis*  
forma vaporum seu sudoris folidumque cuti adhaerentium exit,  
& aliis corporibus communicatur. Et copiosissime è corpo-  
re infecto hoc *μιασμα* exit, ubi venenum natura fortius est,  
eamque vincit, quod in morituris accidit.

XXIX. Semina autem contagii communicantur vel per  
immediatum contactum, vel per medium aliquod & vehicu-  
lum. Vehiculum autem hoc duplex est, aëris, & fomes aliquis,  
quem appellant. Aëris ubi à corporibus infectis contagii semi-  
na accepit, in vicina & sapè etiam remotiora loca ea deferre  
potest.

XXX. Fomitis rationem habet: quicquid contagii  
semina in se recipere, & aliò transferre potest. Qualia  
corpora

corpora sunt rara & porosa; ut linum, gossypium, plumæ, pelle  
s pilosæ animalium, & vestes inde confectæ, plumæ item avi  
um & aves ipsæ. Compertumque est μιάσματα illa pestilentia  
sæpè in fomite aliquot annos latuisse. Imò fieri potest, ut quis  
pestilentiæ semina in veste illæsus circumferat, iisque motis ac  
excussis alium inficiat.

XXXI. Contagium autem pestilens in corpus receptum,  
illi similem, qua corpus illud, è quo emissum est, laboravit,  
dispositionem inducit, & quidem plerumque subitò: aliquando  
tamen aliquot diebus in corpore latuisse, antequam sese exse  
rueri, compertum est.

XXXII. Tertiò corpus, quod pestilens seminarum recipit,  
quod attinet, etsi à veneno pestilenti nemo sibi facile immuni  
tatem polliceri possit, alios tamen facilius, alios difficilius infici  
certum est. Cujus rei causa proculdubio consistit in peculiari  
aliqua & occulta qualitate cordis, cuius vi veneno pestilenti re  
sistere valet vel non valet.

XXXIII. Quia tamen venenata qualitas sine subiecto è cor  
pore infecto in alia non transfertur, fortius se insinuabit, si in  
corpus analogum & simile ei, in quo generata est, recipiatur;  
unde consanguinei, quam alii, facilius inficiuntur.

XXXIV. Sunt tamen & alia, quæ ut pestis facilius admitta  
tur, faciunt. Qui enim copiosius inspirant, ut sit post vali  
dum motum, & qui poros corporis habent amplos & patentes,  
facilius semina pestis, in aëre vel fomite aliquo hærentia su  
scipiunt.

XXXV. Porro signa quod attinet, ut de imminentis pesti  
lentiæ signis, brevitatis studio nihil afferamus, sed qua ratione  
saltem agnosci possit, dicamus, pestis equidem, cum in plures  
jam grassatur, non difficulter cognosci potest. Verum ante  
quam in plures diffunditur, vix ullum signum pathognomo  
nicum datur, quo certò constare possit, unum vel paucos malè  
affectione peste laborare.

XXXVI. Postea ubi in plures serpit, non ita difficulter  
cognoscitur; præciqùè cū morbi sporadici omnes ferè sileant.  
Nam

Signa diagno  
stica.



Nam 1. pestis multos invadit & plerosq; jugulat. 2. contagiosa est, & in alios facile derivatur, magis, quam ullus alias morbus contagiosus 3. vi sua vires & facultatem vitalem in primis pro sternit. 4. unde fiunt pulsus parvi, frequentes, & inaequales, accedit cordis palpitatio, lipothymia, syncope, & summa omnino angustia. 5. si morbus protrahatur, & venenum humores corruptat, omnis generis mala & symptomata accedunt, & tota ferè corporis œconomia turbatur. Accidunt febres, exanthemata varia, bubones, carbunculi. Neque tamen si nullæ maculæ, nullus bûbo, vel carbunculus appareat, concludendum, ægrum peste non laborare. Sæpè enim accidit, ut antequam ipsa erumpant, & ob virtutis debilitatem expelli possint, æger morbi vehementia moriatur.

XXXVII. Accidunt & alia omnis generis symptomata. Ubi enim robur corporis à veneni vehementia debilitatur, humores ac spiritus corrupti apparent, excreta mutantur, & urina vel cruda, vel corrupta planè apparent, sudores fiunt fætidi ac intempestivi, per alvum prava, fætida, malè colorata excernuntur, qualitates corporis variè mutantur. Et nihil omnino est in febribus ardentibus & malignis, quod non etiam in pestilentia apparere possit.

XXXIX. Nullus omnino morbus est, cui aph. Hipp. i. 9. *secl.* *Prognostica.*  
2. magis competit. Sæpè enim cum maximè blanditur pestilenta, mors inopinatò occupat; contra, qui desperati videbantur, sæpè contra spem evadunt.

XXXIX. Salutis tamen major spes est, ubi tumores subito erumpunt in loco non periculoso, & post eruptionem symptomata remittunt. Si item ex anthemata sint boni coloris & cum symptomatum remissione. Si medicamenta, cibus & potus non evomantur; si sudores cum alleviatione erumpant, & alia quæ in febribus salutaribus adesse solent, signa conspiciantur.

XL. Periculum verò summum indicatur, cum tumores non satis erumpunt, carbunculi cordi vicini emergunt, vel iterum evanescunt. Si adsunt deliria, vigiliae, coma, convulsiones; si æger omnia fætere dixerit; si adsunt tremor cordis, animi deliquia, si omnia vomitu rejiciantur, si extrema frigescant, si sudor sit frigidus,

gidus, si alvus varia, nigra, fœtida dejiciat, atque alia malignarum febrium prava symptomata adsint.

*Præservatio.*

XLI. Cum verò tutius sit, ut pestis præcaveatur, quam ut præsens è corpore expellatur, primò de præservatione sollicitos esse decet. Præservandi autem ratio, post Dei auxilium, quod precibus expetere decet, in duobus consistit, primum est, ut caußæ omnes, quæ pestem inducere valent, vitentur; deinde ut caußarum illarum vis, ubi eas vitare non licet, infringatur, & corpora ad eam recipiendam minus apta, ad resistendum verò fortia reddantur.

XLII. Primò ergo, si pestis alicubi grassatur, omnia cum infectis commercia vitanda sunt, & si quis præter opinionem inficiatur, à reliquis cum omni supellectile separandus, & quidem ad plures septimanæ: ædesq; infectæ, ut infra dicetur, mundandæ. Et si dubium sit, an quis revera peste infectus sit, præstat esse nimis cautum, quam temerarium.

XLIII. Si verò pestilentia jam in loco aliquo disseminata sit, cunctissimum est, locum mutare, juxta vulgatum versiculum: *Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.* Cujus verò rationes non fuerunt, ut locum mutet, is, Dei auxilio implorato, frequenter alexipharmacis utatur, iisq; adversus occurrentis contagium corpus muniat, & ut corpus ab omnibus excrementis liberum sit, & in naturali statu conservetur, det operam.

XLIV. Et ut à posteriore incipiamus, corpus equidem fortibus medicamentis non est temerè debilitandum: si tamen quid vitiosorum humorum in corpore fuerit, ne alexipharmacorum vis debilitetur, aut venenum pestilens facile in corpore radices agat, lenioribus purgantibus sensim id evacuandum est. In quem finem utilissimæ sunt pilulæ Russi ab autore, & ab usu pestilentiales nominatae: è quibus etiam, addito oleo ♀, Elixir proprietatis dictum compositum est. Utilis est etiam Syr. ros. solut: rhabarbarum, agaricus, &c quæ ex his componuntur, quæ passim existant.

XLV. Sanguis, si abundet, venæsectione imminui potest.

XLVI. Diæta sit talis, qua vitiosi humores non cumulentur: cibisq; & potuia liquida alexipharmaci admisceri potest. Et si

etiam



etiam, quod facilè fieri potest, excrementi humoris aliquid cumuletur, subinde per dicta medicamenta evacuari potest.

XLVII. Et cum fontanellæ etiam excrementios humores sensim è corpore tollant, atq; hinc apparatus ad pestem suscipiendam demandant, & eæ tempore pestis utiles sunt.

XLIX. In motu etiam & quiete, somno & vigilia animi; affectibus mediocritas servanda, & in primis, quantum fieri potest, attenta de peste cogitatio, & metus ejus animo excutiendus.

XLIX. Præter hæc duo adhuc ad præservationem à peste necessaria sunt; Primum, cavendum ne pestilentia seminarium attrahatur: Deinde si forsan id nobis ignorantibus accidat, ut corpus adversus id muniatur.

L. Primum ergo danda opera, ut aër, in quo degitur, purus sit. Et proinde primò publica loca ab omnibus sordibus mundada, & aër igne, ac præcipue ex ligno juniperi, quercu, pino, lauro, & plantis odoratis incensis, mundetur. Deinde quisq; privatim hominum frequentiam viret, & proinde rectè à magistratu, conventus, solemnies & frequentes prohibentur. Fenestrae etiam versus loca infecta claudantur, & aër lignis, ut modò dicatum, accensis, vel acero aliquo bezoardico lateribus ignitis infuso, vel suffumigiis, vel pulvere pyrio accenso mundetur.

LI. Nemo vero facilè in publicum, nisi una atq; altera hora post solis ortum, neque jejunus, & non nisi alexipharmacis munitus, prodeat. Itaq; naribus admovenda poma ambræ, noduli, linimenta, odorata, admixtis theriaca, oleo rutæ, zedoariæ, angelicæ, citri, juniperi & similibus. Et sublingua trochisci sublinguales convenientes detineantur, sacculi cordiales cordis regioni applicentur.

LII. Amuleta quoq; à plurimis commendantur è rebus venenatis, arsenico, pulvere busonum, argento vivo, & similibus parata, quorum descriptiones passim exstant: quæ quicquid præstant, eo modo proculdubio efficiunt, quod totius substantiæ similitudine pestilens venenum ad se trahunt, & à corde avergent; Sicut à Scorpio percussi oleo ejusdem extra illito sanantur.

tur. Cavendum tamen ne motu incalescant sacculi vel masse illæ, ne per poros cutis vis illa venenicordi communicetur.

LIII. Verum maxima salutis & sanitatis spes est in alexipharmacis: è quibus ea eligenda, quæ longa experientia probata sunt. Simplicia sunt: Angelica, valeriana, tormentilla, carduus benedictus, acetosa, dictamnus Creticus, & albus, Ruta, vincetoxicum, scabiosa, morsus Diaboli, Pimpinella, olsnicium, veronica, scorzonera, calendula, absinthium, tanacetū zedoaria, Imperatoria, Gentiana, Baccæ Juniperi, nuces juglandes, C.C., os de C.C., Bolus armenus, Terra Sigillata, Smangdus, Hyacinthus.

LIV. E quibus variafiunt composita: inter quæ excellunt & longo usu comprobata sunt, Mithridatum, Theriaca & confectione liberantis. Sicut & illa antidotus, quæ regi Mithridati adscribitur, de qua Plin. lib. 23. cap. 3. ut & Theriaca diatessaron. Quibus Recentiores plurima alia addiderunt, qualia sunt, Electuarium de croco, sive de Ovo dictum; Diaetordium Fraeastorii Antidotus Saxonica, Antidotus Guidonis de Cauliaco, pulvis Cæsaris rubeus, & gryseus; Electuarium Camphoratum Kegleri, & plura alia, quibus tractatus de pestilentia variorum autorum referti sunt, quæ tum ad præservationem à peste, tum ad curationem ejusdem utilia sunt, ut potius delectu, quam de copia hinc sollicitos esse deceat. In qua copia tamen tutius antiquis longo usu probatis confidere decet, quam noviter inventis, quamcunq; etiam speciem & præconia præ se ferant.

LV. Cum autem infantibus & gravidis illa fortiora & calidiora non convenient; iis danda medicamenta ex C. C., oss. de C.C., radicibus tormentillæ, margaritis, bolo armeno, coraliis, bezoar, lapidibus pretiosis.

LVI. Et cum etiam medicamentorum alexipharmacorum secundum qualitates, quas præter occultas, obtinent, non parva detur differentia, non cuilibet tempori & ætati quælibet conveniunt. Nam in aëre calidiore minus calidis utendum, quod & iis faciendum, qui vel ætatis vel corporis constitutionis ratione calidores sunt, ne humores incendantur, & febres postea inde contrahantur. Aut si quæ sunt calidiora, aceto præparanda sunt, vel sumenda cum Syr. aceto, citri, acetosæ, acetosellæ, granatorum.



LVII. Non etiam uni Alexipharmaco inhærendum, sed mutanda alexipharmacæ, ne natura illis adsuescat, atque ita param ab iis auxiliu accipere possit.

LIX. Cæterum siullo morbo, in hoc certè, accuratam curandi rationem perspectam habere oportet: Cum leve aliquod erratum commissum irreparabile daminum pariat.

LIX. Cum autem recta curandi ratio ab indicationib⁹ pendeat, pestis autem cum occultus morbus sit, ejusq; natura in occulta qualitate, peculiari vi cordi infesta, summeq; contagiosa consistat; ea verò inducatur à natura simili qualitate prædicta: facilè hinc patet, & ipsam illam occultam qualitatem indicare alexipharmacum contrarium, & caußam illam in corpore seu per inspirationem, seu contactum acceptam, aut quovis modo contractam suamotionem & eradicationem indicare. Verum quomodo id fieri debeat, inter Médicos controversum est.

LX. Primo enim cum nec venæsectio, nec purgatio à pesti-  
lentia, quatenus talis, indicetur, an adhibendæ sint, controv-  
ertitur. Primo venæsectionem quod attinet, cum ea nec ve-  
nenum, pestilentemq; morbum, nec caußam ejus tollat, raro  
in usum trahenda, & in ea peste, quæ fit à pravo victu, planè o-  
mittenda, ut & in ea, quæ fit ex aëris constitutione pestilente,  
nisi magna adsit sanguinis copia, quæ imminuenda, ejusq; æstus  
temperandus sit. Si verò à contagio pestis contracta, & ea de-  
prehendatur sanguinis copia, ut metuendum sit, ne putrida fe-  
bris tanta, à qua æger non minus, quam ob ipsam pestem peri-  
clitiri posset, accedat, aut sanguinis ad loca inconvenientia im-  
petus animadvertisatur, viresque potius copia oppressæ, quam  
dissipatae sint, venæsectionē instituere licet, tantam tamen, quan-  
tam vires ferunt: Et quidem mox in principio: Nam horis 12.  
vel pluribus elapsis tutius est, venæsectionem omittere; cum  
vires vehementia veneni fractæ eam amplius non ferant.

LXI. Locum venæsectionis quod attinet, talis eligendus, ut naturæ motus adjuvetur, non impediatur, simulq; à loco no-  
bili materia pestilens avertatur. Ideoq; si parotis post aures,  
vel bubo sub axillis, aut carbunculus in partibus superioribus  
erumpat, in brachio ejusdem lateris vena aperienda. Si autem

in inguinibus bubo erumpat, in pede ejusdem lateris vena aprienda. Si verò carbunculus in alterutro cruve oriatur, cum is inflammationem & dolorem vehementissimum, quo vires dejiiciuntur excitare soleat, commodum est, in opposito crure venam aperire. Neq; enim hoc modo naturæ motus impeditur sed ita etiam à partibus superioribus materiali versus inferiora trahitur, & nimius ad locum affectum fluxus, atque inflammationis augmentum prohibetur.

LXII. Purgatio deinde etiam veneno pestilenti, non indicatur, nec ullo purgante medicamento seminarium pestis ejicitur; nisi forsitan magna naturæ commotione facta; id quod cum periculo conjunctum.

LXIII. Et cum Natura plerumq; venenum pestilens ad ambitum corporis expellar, purgatione hic motus naturæ impeditur, venenumq; pestilens ad interiora retrahitur, humoribusq; magis permiscetur, & humorum motu comitato, periculosissimæ imò lethales vomitiones & diarrhoeæ excitantur. Ideoq; non in purgatione, sed in primis in alexipharmacis, post Deum, salutis spes collocanda.

LXIV. Quapropter tutissimum fuerit, si quis peste corruptum se sentiat, statim, Dei auxilio prius implorato, ad alexipharmacis confugere, & efficacissimum aliquid atq; experientia probatum medicamentum sumere, & si primum vomitu rejiciatur, statim id repetere: imò etsi id retineatur, semel sumere non sufficit, sed horarum 24. spatio ter alexipharmacum exhibendum, & per biduum hoc modo continuandum, donec veneni vis fracta sit.

LXV. Sumpto medicamento se æger ad sudorem componat, in primis primâ & secundâ vice, aëremq; frigidum non admittat, atq; si vires ferant, ad duas horas sudorem continuet.

LXVI. A somno abstineat æger, donec bis sudaverit. Et inter sudandum reficiatur conserv. & Syr. rosar., acerosæ, acetosæ, citri, granatorum, ribes, cum aquis cordialibus, & odoramentis naribus admotis, & per cubiculum sparsis. Utile etiam fuerit panem à furno calentem aliqua parte excavare, cavitatemq; theriaca implere, & umbilico, vel sub alas apponere. Finito sudore

dore corpus linteis mundis calentibus exsicetur, cavendo, ne  
aer frigidus admittatur, & linteamina ac tegumenta lectorum  
mutentur. Post sudorem æger cibis εὐχύμοις & ευπέποις nutria-  
tur, modica tamen quantitate sumptis.

LXVII. Ubi semel sudavit æger, si venæ sectione opus sit, in-  
situatur eo, ut antea dictum, modo. Et ubi alexipharmacum per  
biduum continuata sunt, & corpū sit cacochymicum, aut ab in-  
terno humorum vitio pestis dēpendeat, & à febre magnum pe-  
ticulum metuendum sit, purgans exhibere non in utile fuerit, ut  
pars aliqua materia putredinem concepturæ, febremq; aucturæ  
tollatur, ut natura reliquum facilius vincere possit. Sint au-  
tem illa, mitiora, Syr. ros. solut., tamarindi, rhabarbarum, agari-  
cus, pil. pestilentiales, triphera persica, syr. diasereos.

LXVIII. Postea etiam si sudorem ciere opus non sit, (si tamen  
die critico erumpat, non impeditus est) continuanda tamen  
sunt ea medicamenta, quæ putredinem inhibent, febri maligne  
resistunt, incendiumq; in visceribus & humoribus extinguunt.

LXIX. Itaq; tum de Theriaca & aliis medicamentis calidis  
observandum, ne temerè sine ullo morbi, naturæ, ætatis & alia-  
liarum circumstantiarum respectu usurpentur. Qua propter ubi  
febris jam corpus occupavit, post sudorem talia non nisi restri-  
gerantibus admittis, vel etiam refrigerantia sola exhibenda, qua-  
lia sunt Syrup. acetositat. citri, acetosæ, acetosellæ, granato-  
rum, ribes, rubi idæi, ut & margaritæ, corallia, lapides pretiosi,  
bezoar.

LXX. Cum autem natura plerumque partem materiae ve-  
nenosæ ad ambitum corporis expellere & bubones & car-  
bunculos excitare soleat: si perfectè aut certè maxima venenæ  
pars in bubonem expulsa sit, id quod cognoscitur, ex febris &  
symptomatum remissione, concoctionem, et si non perfectam,  
ut in aliis tumoribus, exspectare licet, eaque omnibus modis  
adjuvanda. Si verò vel bubo non satis erumpat, vel nimis augea-  
tur, febris tamen & symptomata non remittant, nec æger melius  
habeat, danda opera, ut veneno quam primū exitus patefiat. Itaq;  
vel vesicantia imponenda, vel cutis scarificanda, ut venenum  
liberè exspirare, humoresq; pestilentes effluere possint.

71. Magn.



LXXI. Magno etiam cum ægri commodo, licet incisio facta non sit, pulli gallinacei vel columbini circa anum deplumati apponuntur, idq; saepius repetatur; vel bubo exsiccatus vino emollienti imponatur. Postea detur opera, ut materia reliqua peridonea medicamenta, passim descripta, maturetur.

LXXII. In locum incisione apertum digestiva idonea imponantur, & si incisio minus profunda sit, & pus adhuc conclusum detineatur, scalpello aperiendus est tumor, ulcusq; convenientibus medicamentis mundandum, nec ulcus claudendum, donec omne venenum effluxerit.

LXXIII. Carbunculi verò statim scarificandi sunt, & quidem satis profundè, ut pestilens & corruptus humor effluat, postea emplastrum aliquod conveniens imponatur, quale est de fuligine & alia passim descripta. Nonnulli magnetè arsenicalem imponunt. Imponere etiam utile est bufonem exsiccatum, vino maceratum.

LXXIV. Locis verò vicinis, ne venenum ad interiora regrediatur, defensivum aliquod ex refrigerantibus, siccantibus & adstringentibus imponendum. Nonnulli sapphiro in cute circa carbunculum circulum ducunt, ne venenum latius serpat, sed extinguitur.

LXXV. Et si carbunculus nimium augeatur, summumque dolorem exciter, venam sub carbunculo aperire utile est, ut sanguis ille corruptus evacuetur. Et ad calorem extinguendum, emplastrum decynoglossa adhibendum. Eschara ubi generata fuerit, unguento conveniente demenda. Toto verò curationis tempore singulis septimanis bis potiuncula aliqua è temperatis alexipharmacis exhibenda, ne veneni aliiquid in corpore relinquatur.

F I N I S.

Ug 576

f

5b1

Vor 77 M



